HISPANIS ET GALLIS GRATULATIO, HABITA PARISIIS, ...

André Le Camus

HISPANIS
ET
GALLIS
GRATULATIO,
HABITA PARISIIS,
Cum PHILIPPUS Dux
Andegavensis Hispaniarum
Rex renuntiatus esset.

Auctore Andrea LE CAMUS,
Societatis Jesu Sacerdote.

In Regio LUDOVICI MAGNI,
Collegio.

PARISIIS,
Apud Viduam SIMONIS BESNARD,
viâ San-Jacobæâ.

M. DCCI.


PHILIPPUS QUINTUS HISPANIARUM REX
a Paris chez I. Mariette rue S.t Iacques aux Colones d'Hercule
Aspice, quanta sedet vultu sapientia. Regem
Non alium sapiens natio habere velit.

HISPANIS ET GALLIS.

GRATULATIO.

QUOD ſperabat ille Romanus imperator, toto Imperio brevi conſtituendam eſſe pacem tam firmam, ut deinceps, miſſo exercitu, liber ſtipendii miles domi ceſſaturus eſſet, ipſumque belli nomen propemodum inſolens foret; hoc jam nobis noſtræque Galliæ,

hoc Hiſpaniæ, hoc toti Europæ, niſi illa fortè in exitium ruere voluntarium malit, gratulari poſſumus, ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, CÆTERIQUE OMNIUM ORDINUM AUDITORES ORNATISSIMI.

Quidquid invidiæ perpetuis triumphis Gallia contraxerat, concidat hodie demum neceſſe eſt: quæ antea vinci non potuit, jam non habet vel à quo oppugnetur. Aſſerta Borboniis Hiſpania belli inſtaurandi cauſas amputat, gerendi ſi minus voluntatem, at certè facultatem adimit.

Accipiat Chriſtianus orbis fortunatum omen naſcenti

ſæculo, & ſuperiorum temporum procellis periculiſque defunctus, ætatis aureæ expectatione recreetur : túque ô gaude Hiſpania, quæ ut ſunt fata regnorum, nobilis imperii caſum propè timueras, ecce meliore fato in ſpem majoris amplitudinis erigeris.

Juvat, Auditores, relegere tantiſper præterita tempora, & conferre cum præſentibus, rerumque humanarum viciſſitudinem recordatione Gallis utique dulciſſimâ recolere.

Ante ſæculum Europa tota viſa erat genti Auſtriacæ minor. Carolus quintus Imperator, priſcis illis non impar, Franciſco primo imperii

æmulo etiam Galliam ſuam ferè inviderat: Philippus Caroli filius, qui, licet anguſtiore imperio animos nihilo anguſtiores gerebat, domeſticorum motuum, quibus Gallia agitabatur, opportunitatem nactus, in præclarum hoc regnum conſilia ſua rurſum converterat, ejúſque potiundi ſpe, amiſſarum in Belgio provinciarum dolorem aliquando mitigaverat.

Vidit hæc ipſa Urbs cæterarum caput exemplumque, vidit intra ſua mœnia legatũ Philippi Feriam, concupitum diu regnum Regi ſuo non obſcuris artibus vindicantem. Reddit hodie Gallia Hiſpaniæ vicem, & reddit ut Galli

ſolent: concedit Regem Hiſpanis, qui ſuum ſibi eripere olim voluerant.

Sed fruamur ſanè jucundiſſimo eventu, & ſine invidia gentis jam nobis cognatæ fruamur. Eſt enim verò cur Hiſpanis pariter Galliſque factum memorabile gratulemur, quod facit pariter ad utriuſque nationis laudem & commendationem; Hiſpanicæ quidem, quæ regem ſibi ex auguſtiſſima Borboniorum familia optavit; Gallicæ verò, quæ optanti conceſſit.

Nimirum natio utraque ſuo ingenio obſequuta eſt. Hiſpani ſapientiæ, Galli gloriæ ſervierunt: ſereniſſimum

Ducem Andegavensium ; Hispaniæ Regem, expetiit sapienter Hispania, hoc primum : concessit Gallia gloriosè : hoc alterum orationis caput. Nunquam sapiens natio sapientiùs fecit. Nunquam gloriæ cupida natio fecit gloriosiùs. Quæ duo dum persequor, satis, credo vos, Auditores, magnitudo argumenti ad audiendum excitat. Favete igitur oratori novo & dicentem ex hoc loco hodiè primùm vestra benignitate sublevate.

PRIMA PARS.

CUm sapientiam Hispanorum prædico, absit Auditores, ut cæterarum vir-

tutum laudem nobilissimæ genti negare videar. Floruêre Hispani ab omni ævo pacis bellíque artibus. Illa ipsa Roma, quæ regendorum populorum scientiam sibi vindicabat, debuit Trajano Hispano imperii sui jam senescentis redivivum robur. Hispanus erat Theodosius magnus, Trajano ipsi, quo generis sui autore gloriabatur, virtutibus bellicis civilibusque simillimus, Christianis major. Ac ne quis fortè miretur me ab elapsis retro temporibus laudem Hispanis accersere; dicam sine suspicione adulationis habuisse Hispanos huc usque quidquid ad magni imperii splendorem,

dignitatem, felicitatemque pertinere poteſt. Conſilio juxta & manu boni quid non ſuſcepêre audacter? quid non feliciter perfecêre? Quæ natio plures regiones imperio ſuo adjunxit? quæ adjunctas meliùs tuita eſt? quæ plura bella geſſit? quis in quatuor mundi partibus Hiſpanorum virtutem non audiit? quis habere illos amicos non optavit? non timuit hoſtes habere? Nunquam excident ex hominum memoria Gonzalvi, Navarri, Levæ, Albani, aliîque multi clariſſimi Duces, quos ferè uno eodémque tempore Hiſpania tulit. Neque obruit Condæus ipſe Mellones & Fontanos, eo ſolo qui

illos vicit, minores.

Fatendum est tamen Hispanos, licet reliquis etiam virtutibus possint cum gente qualibet contendere, sapientia imprimis & prudentia sic excelluisse, ut illa quasi propria gentis virtus, cæteræ huic uni famulari & subservire videantur. Fortes in præliis vel eorum testimonio, à quibus, ut est Mars communis, interdum victi sunt, si quid minùs ex sententia cecidit, continuo peccatum non tam suum, quàm fortunæ, consilii opportunitate emendarunt. Victores vel invitâ fortunâ visi sunt non semel eripere hostibus fructum victoriæ, hoc est victoriam

ipſam, ſapientiâ reddente quod ſors ademerat.

Quam ſæpè multorum annorum damna unius diei conſilio reparaverunt, ut poſt multa bella, ſæpè iniquo marte geſta, nihilo deterioris conditionis forent, quam ſi aut pacem perpetuam habuiſſent, aut eorum virtuti fortuna ſemper reſpondiſſet. Teſtes innumeræ urbes, quas non tam ſcimus illis aliquando ereptas eſſe, quam eorumdem prudentiâ fuiſſe recuperatas.

Quod ſi ne in adverſis quidem conſilium Hiſpanis unquam defuit, quanto minùs in proſperis. Conſulite, Auditores, annalium memo-

riam, relegite sæculum illud, quo Hiſpani erant, quod hodie Galli ſumus; repetite Ferdinandi & Iſabellæ tempora, cùm jam præludere gens Auſtriaca, totius Europæ imperio cœpit. Revocate animo felicia illa connubia, quibus in tantam magnitudinem crevit, ut vaſta ambitio nullis jam videretur limitibus poſſe coërceri, nullo ſatis valido obice comprimi aut retardari. Intuemini Carolum Imperatorem non Hiſpanum illum quidem, ſed tamen Hiſpanorum artibus imbutum à puero, Hiſpanis & ducibus & conſiliariis ſtipatum: ut ſtatim orbi patuit, quantus futurus erat, ut glorio-

ſum curriculum ingreſſus eſt animosè, ut inoffenſo pede emenſus eſt! Quis ab Augu-ſti temporibus ſic evertit con-ſilia hoſtium? Quis eos om-nes perinde in poteſtatem re-dactos legem accipere coë-git?

Jam vero Philippum ejus filium & in regno Hiſpaniæ ſucceſſorem an vel minimus humanæ ſapientiæ apex fu-git, qui ſolus in conclavi, re-gna Europæ omnia vel rege-bat, vel turbabat, in quo ni-hil deſideraveras, ſi tam feliciter confirmaſſet ſua, quam ſciebat aliena miſce-re?

Quorſum autem exempla moror à nobis remotiora?

Vicerint antea Hiſpani cæteras gentes politici regiminis ſcientiâ, hodierno facto ſeipſos vicerunt: tria enim ſimul conſequuntur; regnum ſuum, quantum eſt, nulla parte imminutum conſervant: potentiſſimam nationem arctiſſimo amicitiæ vinculo ſibi conſociant: Regem denique accipiunt Hiſpanico ſolio digniſſimum.

Ac 1°. quidem peragranti mihi mente non ita pridem utriuſque orbis regiones, & ad ſingulos quaſi paſſus in Hiſpanorum ditiones incidenti, contigit non ſemel commoveri animo, & miſerari in florentiſſimo regno rerum humanarum inſtabilita-

tem. Hoccine fato igitur, inquiebam tacitus, conflatum eſt ex tam multis regnis potentiſſimum imperium, ut non ita multo poſt diſſolutis partibus deſineret ac fœdè laceraretur! Ergo vaſtiſſimus ille ambitus regnorum, quibus ſolem aiunt nunquam occidere, ſuæ magnitudinis parte nobiliſſimâ mulctabitur, fructus ille tot fœderum & prudentiæ humanæ abſolutum opus interibit! Sic ferebatur, ſic credebant plerique omnes. Et dum in Hiſpania metuebat cordatiſſimus quiſque Regis optimi mortem, foris interim dividebatur opima hæreditas. Et quis ſcit an non multæ aliæ præter illas

quæ designabantur, partes avellerentur à reliquo corpore? an non, ut illi Alexandri Magni duces, sic etiam, absit verbo injuria; Hispani præfecti pro se quisque in variis orbis partibus provincias tacitis votis jam occuparent in quas intelligerent alienos involare? Misera Hispania quantum eras mutata ab illa, quæ non multò ante orbi jura dabas? redacta in provinciam subitura eras fortasse jugum alicujus præfecti, quæ ipsa tot præfectos mittere consueveras regum æmulos.

Verùm, ô inanes metus hominum nescientium profectò qui sint Hispani! Quasi verò potuisset prudentissima

natio tam ſubitò dediſcere mores ſuos, & cæcutire prorſus in re omnium, in qua ut acutum cerneret, plurimi illius intererat, Non hercle non defuerunt aut patriæ aut ſibi. Audierunt varios rumores, qui per Europam ſpargebantur. Non ignorarunt varias principum prenſationes. Riſerunt etiam, aut potiùs indignati ſunt, cum famâ percrebreſcente acceperunt in eorum ſpolia conſenſiſſe etiam eos ad quos nihil ea res pertinebat. Nam caviſſe Gallos, ne hæreditas quæ ipſos contingebat, ſibi penitùs eriperetur, quis jure reprehendat? Convenêre igitur viri illi ad ſalutem patriæ nati, viri

ab omni partium ſtudio alieni, in quibus par erat prudentia & æquitas. Ab his edoctus Rex exterorum conſilia, ſuorum incolumitati proſpicere decrevit populi pater, & nobili demum facinore teſtatum Europæ reliquit, quid de eo ſperare licuerat, ſi corporis vires animi magnitudini reſpondiſſent.

Duo omninò in ſapientiſſimi Principis teſtamento conſpirant: juſtitiæ pariter & utilitati conſuluit. Vidit certum eſſe Gallis ſua jura perſequi, jura tam legitima vel hoſte judice. Vidit hæredi cuilibet non Gallo, non tam relinqui à ſe regna quàm bella. Vidit dividi non poſſe,

ubi & jura totum uni vindicarent, & dividi ipſa ſuorum populorum utilitas non pateretur. Viam igitur iniit Princeps idem religioſiſſimus & ſapientiſſimus, quâ faceret quod æquum erat, & à populi cervicibus æterna bella depelleret, ut ſi minùs vivere potuerat, moreretur ſaltem pacificus, eique tanquam diuturnæ pacis autori non in Hiſpania ſolùm, ſed etiam in Gallia nepotes noſtri gratularentur.

Rem uti geſta eſt, ſic expoſui, Auditores; non ita fuit nobis laborandum, ut ad ſalubre conſilium Hiſpani inducerentur. Etſi nihil detractum volo dexteritati &

induſtriæ Harcurii ducis, qui rem tantam, ſi promovere opus erat, certè promovit, at mihi videor illud verè, eo etiam approbante, dicturus, perſpectam multis jam ante in occaſionibus ſingularis viri prudentiam eò ferè pertinuiſſe, ut aliena conſilia removeret, faceretque Hiſpanorum ſapientiæ locum. Intellexerunt ſuâ ſponte Hiſpani hoc ſpectare molitiones exterorum, ut pulcherrimis partibus ſua monarchia mutilaretur, hoc eſt everteretur reſciſſo eo, quod erat meliùs.

Regnum Neapolitanum, ſuperi! in quo ad tria urbium & oppidorum millia numerantur; in quo ſola Neapolis,

regni instar meritò habeatur! Sicilia cujus gratiâ totis ducentis annis majores nostri decertarunt. Mediolanensis ducatus Franciscum inter & Carolum tam diuturni odii fomes! Potuerunt ista, credo, eripi non invitis, tam vindicata acriter, tam pertinaciter retenta! Hîc verò elucet Hispanorum prudentia, quasi in tantas angustias adducti essent, ut ex illis scilicet gloriosiùs emergerent.

Hæc erat hora decretoria. Intenti erant omnium oculi in Hispaniam; suspensi hærebant omnes quo pacto demum solveretur nodus post hominum memoriam intricatissimus. Sed fefellit supera-

vitque expectationem eventus: invenit prudentia Hispanica & quo se sartam tectamque conservaret, &quo eum sibi conciliaret à quo uno sua incolumitas pendebat. O prudentiæ specimen! ô miraculum! Laudetur enimvero Italorum in eo genere scientia: Eorum tamen periculo Hispani olim longa bella in Italia gessêre, eorum periculo nobilissimas provincias sibi asseruêre. Et ecce nunc, cum alea omnis in Hispanos ipsos recidebat, periculum omne sapiente consilio propellunt. Fruantur ita sanè pulcherrimis Italiæ, Siciliæ præfecturis. Novas etiam, si quid est in novo orbe invidendum

præter id quod habent, ſibi acquirant, laudandi meâ quidem ſententiâ duplici nomine, qui & magnum imperium ſuâ virtute ſibi pepererunt, & partum ſingulari ſapientiâ conſervarunt.

Sequitur alter ſapientiæ Hiſpanicæ fructus, ſocietas videlicet utriuſque gentis. Dicamus quod res eſt, Auditores, neque pudor ſit Hiſpanis id fateri hodie, cùm jam errorem ipſi ſuum detexerunt. Parum opis hactenus in ſociis experti erant, ſive culpa illa ſociorum fuerat, ſi cùm poſſent, præſens auxilium non tulêre laborantibus, ſive eæ vires hoſti fuerint, adverſus quas, licet maximè vel-

lent fœderati, ne ſe quidem ſatis tutari potuerint. Remanſerant tamen in fœdere quod contraxerant numine non ſuo. Vicerat nimirùm ratio conſanguinitatis inter Principes gentiles, ſpes fortaſſe melioris fortunæ, coeunte adverſus Gallos tota Europâ, invidia in victores, pudor etiam aliquis ex confeſſione erroris in quo diutiùs perſtiterant. Nam quis credat odium fuiſſe in Gallos, qui ſi quid læſerant, læſerant ferè nolentes, & amici jamdudum eſſe voluerant.

Nunc denique vincit ratio, vincit æquitas, vincit utilitas: aſſumpto in regem sereniſſimo Andegavenſium duce

emendat Hispania, quod alieni consiliarii peccaverant. Fœdus contrahit, quod præteritorum fœderum damna abundè compenset.

*S*eponamus tantisper jura Borboniorum in Hispanias. Fuerit integrum Hispanis regem petere unde vellent. Atqui vel tùm petere ex Gallia prudenter debuerunt. Agite enimverò Hispani? Ubi, ubi ea reperire erat, quæ multa offert Gallia; hostium sit judicium. Interrogate Germanos, quorum celebrantur triumphi scilicet, quos Gallorum religio turbare timuit. Interrogate Batavos, qui nisi vestris provinciis protecti essent, jamdudum nulli erant. Ite in

Angliam,

Angliam, ubi regnat ille, cujus gloria est, quod Gallis restitit, in quos totum orbem commoverat. Ite in extrema terrarum; ite ad Sinas, ubi cæteræ ferè nationes exceptâ unâ Gallicâ, aut ignorantur, aut contemnuntur.

Jam regia Gallorum familia Borbonii, quid habent in orbe aut par, aut secundum? Ex qua familia qui regnarunt hactenus, fortitudinis, justitiæ, religionis exempla venturis regibus reliquerunt totidem heroes quot reges; ex qua familia primùm prodiit Henricus magnus, is qui Austriacæ genti primum vulnus intulit, quam coegit intra legitimos fines sese continere,

ut mirum non ſit nihil non tentatum olim à Philippo contra Henricum, quaſi ſtirpem Henrici ſtirpi ſuæ fatalem jam tum Princeps oculatiſſimus prævidiſſet. Ex qua Ludovicus juſtus ille quidem, at fortis, nihil prohibitus domeſticis motibus, quos feliciter compreſſit, par eſſe potuit juvandis in Italia ſociis contra Germanorum injurias, frangendis ibidem in Italia & in Belgio hoſtium copiis, expugnandis utrobique validiſſimis urbibus, ut jam tum pater auguſto filio præludere videretur. Ex qua Ludovicus magnus, cui uni datum eſt patrem avumque ſuperare; qui per ſe regnum ad-

ministravit eo tempore, quo cæteri reges vix se reges esse meminerunt; qui laudatus ab omnibus nihil unquam laudanti debuit & audienti, fastidii juxta & adulationis securus; qui ministros habuit, ut haberet prudentiæ suæ testes; contra quem arma junxit Europa tota, ut videretur minor; qui bello & pace magnus, voluit demum fieri pietate maximus, ut cùm primùm singulari victoris moderatione silere fortitudo cœpit, cœperit loqui pietas, aut potiùs præclara quadam regiarum christianarumq; virtutum conspiratione perfectus heros, deleret qui præivêre, venturis unus præluceret.

Ad quem igitur ex omnibus, vel si salva æquitate licuerat, confugere Hispani debuerunt, nisi ad eum, quem senserant ipsi omnibus superiorem, cujus profectò dubitare non potuerunt quin præsentem amici manum experirentur contra omnes, cujus hostis tela vel ipsi cæteris omnibus juncti non potuerant declinare? intellexerunt tandem Hispani vulnera à Gallis inflicta sanari non posse nisi à Gallis.

Gratulare igitur tibi Hispania, Quis tibi Gallis fœderatæ vel ausit, vel possit adversari? Sapite, ô qui clades vestras redemistis hactenus Hispanorum periculo: en jam

in eo ſunt, ut acceptas clades in eos ipſos, quorum cauſâ acceperunt, refundant. Jam Leo Belgicus novo igne ardet, quem ſol amicus inſpirat. Jam commercia inſtaurat mercator. Jam plenis velis navita Hiſpanus in novum orbem ſolvit. Jam uterque orbis dat plauſum. Ipſæ etiam operæ ſerviles effodiunt lætius metalla pretioſa, quæ dolebant anteà in belli exitioſi ſumptus fruſtrà conſumi. Terra, quaſi melioris ſideris vim ſentiret, divites venas aperit liberaliùs. Satis & nimium diu belli vis & pondus in vos, Hiſpani, incubuit, ſatis per vos ditatus eſt Batavus auro non ſuo: tempus erat denique

meliores in usus convertendi pecunias hactenus tam steriles. Atque id demùm est quòd à sapientissima natione perfectum hodie non sine summo voluptatis sensu admiramur.

Audierat regiam Ludovici domum abundare heroïbus, quos pater exemplis magis quàm verbis ad veram virtutem exstimulabat. Audierat progeniem ejus Delphinum Magno parenti cætera similem, hoc ferè uno differre, quod non imperaret; dignum imperare, vel quia sciebat parere. Audierat sub avi & parentis oculis adolescere tergeminam prolem, quam fingere amabat Ludovicus ipse, jam

regno maturam, jam grandibus fatis præludentem. Visum est Hispanis è tali disciplina non posse exire nisi heroas, neque Hispaniæ suæ reditu-rum unquam pristinum splẽdorem, nisi fieret illa quodammodo Gallica, & ejusdem sanguinis Principe utrumque regnum gauderet.

Tertium est, Auditores, ex quo sapientia Hispanorum æstimanda est. Regem sibi suâ virtute, suóque solio dignissimum vindicant.

Crediderim equidem, imitata est Hispania Reginam illam, quæ Alexandri magni virtutes admirata, nihil sibi visa est facere posse ad regni sui felicitatem meliùs, quàm

ſi provideret ſucceſſorem, qui & ſanguine & virtutibus Alexandrum referret.

Si aqua ſaliens originem æquat, quantus ille erit Princeps, cujus Delfinus Pater, avus Ludovicus, Henricus atavus? Si ineſt nominibus augurium, quid non ſperare tibi fas eſt, Hiſpania, cui Rex obtigit Philippus, non ille quidem ſatus Carolo, ſed Ludovici nepos, qui Carolum ſuperavit? Si ſpectatur ætas, eadem eſt quæ Caroli, cùm Hiſpanias regendas accepit. Sed mitte nomina, obliviſcere originis, unum Andegavenſem cogita. Fruere aſpectu auguſti Principis, quem ipſa, quæ dat, Gallia jam in-

videt. Quid tale ab amicis illis tuis & fœderatis expectare poteras?

Ut vel ipsa conformatione corporis imperio dignus erat! quasi natura fingeret heroum corpora de meliore luto, ut nobilis anima dignè habitaret. Ut toto ore spirat blanda majestas amoris non imperati illecebra! quæ comitas? quæ modestia in tanto fortunæ gradu? quem subditum conditionis suæ pœniteat sub tali Principe? Vereri Hispania debet ne suos deinceps reges non timeat, quæ assueverit hunc amare. Ex quo verò Rex appellatus est, quid detractum est humanitati, cui potiùs novum splendorem

addidit accessio potestatis. Sentires non factum regem, sed natum, adeò nihil interest inter eum, qui rex factus est, & qui antea non erat.

Onerasset alium in illa ætate salutantium turba, sed intelligebat nimirùm se amari, neque illa obsequia tam reddi suæ dignitati, quàm sibi. Jam ille concursus hominum omnis generis, ætatis, sexûs, quid nisi amorem indicat & dignum amari Principem? Vidimus senes canitie verendos, qui novi Regis videndi desiderio proficiscerentur, non pluvia, non nive retardari, quia se beatos putabant, si vel intueri liceret, & blandæ dextræ oscula figere.

Non vereor, Auditores, ne diutiùs hæream in tam grato argumento. Placent laudes Principis, cùm laudantur vera. Dixi tantùm de oris dignitate, de ſuavitate morum & indolis. Sunt hæc, veluti in fructu illo coronato, pars extima: latet quid meliùs. Quid dicam de ingenio, quod, quàm in capeſcendis litteris fuit, tam erit in tractandis negotiis acre & diligens? Quid de dexteritate in armorum uſu, in fingendis equis, aliiſque ejuſmodi, quæ ad militarem palæſtram pertinent, quibus omnibus in caſtris illis Compendienſibus jam tùm admirationi fuit? Quid de ſapientia, quâ ſapientis nationis

regimini non obſcurè viſus eſt à Deo deſtinari, ipſo etiam in ortu, ut nobis quidem traditum eſt, rem firmante matris omine, quam aiunt ſibi viſam eſſe in puero recèns nato neſcio quid Hiſpanicum intueri?

Sed virtus, ſed pietas in Principe, in juvene; virtus, inquam, & pietas jam matura quæ laudum præconia non meretur? Quàm benè catholicum Regem decebat? quaſi voluerit Deus egregiam Principis pietatem eo regno remunerari, in quo pietas quoque in honore eſt.

Sed miſerum me! dum placitis laudibus indulget amor, interim nos fugis, no-

bis raperis, Dux serenissime, non jam Dux, non jam Andegavensis, non jam noster. *Si sic mihi futurum erat*, inquiebat imminēte partu illa sacris annalibus celebrata mulier, *quid necesse fuit concipere?* Quid juvat, inquit pariter Gallia, quod in meo sinu natus sis, Princeps egregie, quod in meo sinu adoleveris, si spes amoresque tecū in terram alienam auferre debueras. Sed consolare, mea Gallia, dolorem vix consolabilem, manet te gloriosum fatum. Duo Principes, quos peperisti, duos regent populos, neque *major serviet minori*, neque minorem major opprimet, sed communibus studiis sine alienæ magnitudinis in-

vidia serviet uterque suorum utilitati, suæ gloriæ, & augustæ familiæ splendori. Vestrum erit, hostes, videre an velitis tertium tertio Principi regnum ex vestris spoliis accrescere. Sed de Hispanorum prudentia hactenus. Fecerunt illi sapienter in accipiendo serenissimo Andegavensium duce in Regem. An verò tam gloriosè fecerint Galli in concedendo, hoc altero orationis capite breviter, ne vestra patientia abutar, conficio.

SECUNDA PARS.

UNum erat, Auditores, gloriæ genus, quo Galli inprimis cupida gloriæ gens sub Rege omnium maximo

carere non debuerunt. Nam illius quidem militaris jam illos propè ſatietas ceperat. Ediderant Galli in continua ferè bellorum, hoc eſt, victoriarum ſerie, quidquid vel ſplendidius ad famam, vel audacius ad terrorem, vel prudentius ad ſecuritatem, ſive in acie, ſive in expugnatione urbium à viris omni laude bellica cumulatiſſimis expectari poteſt. Quidquid antiqua Græcia faſtis ſuis militaribus adſcripſit, vel unus Ludovici annus ferè deleverat. Roma bellicoſa illa, quæ veteres Gallos vix intra fines continuerat ante tempora Cæſaris, in Gallos hodiernos vel cum ſuo Cæſare quid potuiſſet? Et quid

Ludovicus non confecisset Gallis illis suis stipatus, longè aliis, atque illi erãt, quibus imperiũ Cæsar debuit, si ut tùm, sic etiam nunc victoris potentia jus foret, neque alii essent ambitionis fines, quàm quos victor hostis poneret? Quadraginta urbes ceperat uno vix mense: at neque milites tantùm, duces etiam habuerat Gallia in omni genere admirabiles, in Condæo uno Alexandrum & Cæsarem, in Luxemburgo Camillos; Cunctator Turennius etiam Annibalem fregisset. Sustinuerat Gallus non semel conjuratæ Europæ impetum, & periculo factus alacrior didicerat ipse, docueratque simul quid posset

ſet unus contra omnes. Terrâ, marique, æſtate, hyeme, ſemper & ubique, omnibus, aut par, aut ſuperior, quid habebat, quæſo, quod prætereà bello conſequi ſe poſſe ſperaret?

Decebant Ludovicum pacificæ lauri, qui jamdudum victricibus onerabatur. Pacificas ipſas tamen tam multas collegerat, ut nullas ampliùs terra ferax vel ſua, vel hoſtilis offerret. Domuerat monſtra Herculeis illis veriora. Hæreſis noviſſimæ pacis fœdere veluti ſupremo ictu confoſſa corruerat. Belli tam ſterilis quàm diuturni pertæſus hoſtis, urbes à victore oblatas receperat. Jam deerant

quos vinceret, vel quibus parceret. Pacata foris omnia, domi res compoſitæ, aſſertæ leges, ſtabilita religio, ſuus pietati reſtitutus honos, vindicata artium gloria, nihil videbatur Gallici nominis claritati & amplitudini addi poſſe præterea ad cumulum. Hoc unum beatæ & glorioſæ genti optandum erat, ut Rege, cui ſplendorem omnem ſuum debebat, quàm diutiſſimè frueretur. Serva illud, Deus optime maxime, auguſtum caput, & ſi quid peccamus, quodlibet aliud pœnæ genus in reos immitte: incolumi Principe, ſævies minùs.

Nihil erat igitur, quod omnia gloria cumulatiſſimum

Principem poſſet commovere, niſi novam aliquam haberet illecebram, diverſam ab ea omni, quam faſtidire jam cœperat. Et quid illud porrò? neque hoſtile, neque domeſticum: ſuis charior eſſe non poterat, neque hoſti terribilior. Creſcere nō poterat neque apud hoſtem, neque apud ſuos. Nemo eum laceſſere audebat, laceſſere ipſe nolebat quemquam. Quid igitur? audite. Offert Hiſpania non jam hoſtis, peregrina tamen, novum illud gloriæ veluti condimentum; Hiſpania quæ cupiditate gloriæ neque ipſis Gallis concedat; Hiſpania tam ſapiens natio, tam gnara in quo vera gloria ſita ſit; Hiſ-

pania quæ se superiorem hactenus, non dico nostræ nationi, sed cæteris omnibus credidit; Hispania tandiù huic imperio infesta, tandiù fœderata Galliæ hostibus, intelligit demùm illa nihil à se fieri posse meliùs, quàm si Regem à Gallia accipiat. Quid Gallis gloriosiùs? Norat regias Europæ familias à quibus Regem sibi accerseret; non accersivit. Juncta erat diuturno eodemque perpetuo vinculo cum Austriacâ; vinculum rupit: fecerant perpetua ferè bella ne Regem nosceret, nisi ex cladibus quas in hostium societate acceperat; hunc cæteris anteponit. Jubet suum oratorem offerre

LUDOVICO MAGNO duo & viginti regna. Quis orator tale munus unquam obtulerat, aut posthac offeret? ut quamvis excellentissimum oratorem nihil prætereà commendaret, non ingenium acre, non splendor natalium, non obitæ jam cum laude legationes, non administratæ provinciæ; esset tamen vel ex hoc uno memoria illius singularis. Hic ille est, qui regna Hispanica Ludovico obtulit. Qui primus novi Regis manum osculatus est, qui primus novi Regis liberalitatem expertus est. Felix fortunatumque omen & oratori & illustrissimæ ejus familiæ ad speranda deinceps omnia ab eo Rege, qui in distribuen-

dis muneribus non oblivisſcetur illius, à quo primum accepit nuntium poteſtatis, quâ haberet unde poſſet eſſe in cæteros omnes liberalis.

Sed quid hîc occurrit novum, inauditum, ipſis etiam duobus & viginti regnis admirabilius? Quid? miraris excellentiſſime Legate, non accipi à Ludovico tot regna? videro, inquit Heros nihil commotus, & ipſis etiam oblatis regnis major, videro. Nam cui præter Ludovicum, tot coronæ non perſtringant oculos? Atqui, inquit Legatus admiratione defixus, & ſolam hanc vocem jam proferente linguâ, vide-

ro; Vidi, vidi ego heroem. Audieram heroem esse ex tot factis heroicis; didiceram ex communi omnium gentium voce, ex ipso hostium testimonio; Nunc vidi.

Rem interim pensabat tacitè Ludovicus, aut potiùs sibi conscius, quid facturus esset, rem tamen in secretiore concilio proponit, in quo assuevit jamdudum nihil audire à fidelibus ministris, nisi quod ipse priùs approbavit in sinu. Serenissimus Delfinus, cujus sanè causa agebatur, censet, neque ille quidem auctore ullo prævio, (quid enim auctore egeant magnæ animæ, ut amplectantur magna?) censet, inquam,

accipiendum esse Regis Catholici testamentum, dici videlicet Ludovici magni filiũ, quàm aut Siculum aut Neapolitanum Regem plus aliquid arbitratus, seque beatum satis parente Rege, & Rege filio. Hic verò quibus verbis utar? Parum est Ludovico esse regum maximum, nisi esset idem patrum omnium felicissimus. Quid pulchrius consensione illa voluntatum & sententiarum in parente & filio, in Rege & Delfino, ut idem seorsùm uterque sentiat, in re præsertim, quæ una omnium, maximè obnoxia erat præjudicio voluntatis & cupiditatis?

Statur reipsa testamento.
scribit

Scribit eâ de re Ludovicus ad Interreges Hiſpaniæ litteras plenas dignitatis & humanitatis. Diditur rei fama, priùs etiam, quàm Rex mentem palam aperiret, ſatis nimirùm prævidentibus Aulicis, quàm in partem abiturus eſſet is, qui aut nullâ, aut ſolâ gloriæ cupiditate duceretur. Et quid neceſſe eſt, Auditores, probari à me pluribus, rem eſſe Gallicæ nationi glorioſam? Quæ vox alia, ut primùm de Regis conſilio conſtare cœpit, inter plauſus aulæ & urbis audita eſt? quid aliud ſecutæ poſtmodum toto regno acclamationes? quid cæterarum ferè nationum gratulationes? quid vel invidentium ſilen-

tium significavit?

Videtur mihi planè Gallia eò jam pervenisse magnitudinis, quò pervenisse Romam ipsæ sacræ litteræ testantur, cùm jus habebat in Reges, regnorumque arbitria, non tam illa suo imperio adjicere satagebat, quàm in dignos Reges transferre. *Quibus vellent*, inquit auctor sacer, *auxilio esse ut regnarent, regnabant; quos autem vellent, deturbabant, & exaltati sunt valdè.* Cùm primùm audivi Philippum Borbonium appellatum fuisse à Rege Hispaniarum Regem, mihi visus sum videre Augustum orbis Dominum, reges quos placuerat, petentibus legatis concedentem: haud aliter Lu-

dovicus expectanti Hispanorum Legato regem Philippum renuntiavit. Tum verò videres aulam totam commoveri: incertum, Ludovico an Philippo, an Hispanis an sibi nobilem eventum gratulari; utilitatem certè Hispanis, Regi, Gallisque gloriam vindicare. Vetustior erat profectò inter Castellæ regna, cujus est præcipua quædam præ reliquis Hispaniarum regnis dignitas, regiamque Gallorum gentem jam inde à sancti Ludovici temporibus affinitas, quam ut in aliam familiam transirent. Blanca illa scilicet tot regum fœcunda parens jam tum videri potuit jura in Castellam sua Borbo-

niis transſmittere, quæ novis Mariæ Thereſæ juribus confirmata tandem aliquando in Blancæ & ſancti Ludovici nepote reviviſcerent.

Audiviſtis hactenus factum Galliæ glorioſum; addam aliquid quod ipſius facti gloriam ſuperet, ſagacitatem ſcilicet Ludovici, undè profectũ eſt. Nihil affingam, Auditores, tantùm vereor, ne rem longè maximam narrando extenuare videar. Jamdudum Caroli II. infirma valetudo ſpem ſucceſſoris ademerat. Spectabat ampla hæreditas ad Mariæ Thereſæ auguſtam prolem ejuſque deinceps poſteros. Eandem tamen ſibi vindicabant Auſtrii, quo jure,

non examino. Ut ut eſt, duplici tantùm viâ res componebatur; aut dividenda hæreditas Gallum inter & Auſtrium, ad præcidenda, ſi tamen præcidebantur hoc pacto, nova Europæ vix dum pacatæ bella, præteritis etiam graviora; aut relinquendum Borboniis integrum jus ſuum.

Quid putatis feciſſe Regem futuri providum? Senſit præter Auſtrios juri ſuo adverſaturos etiam illos, quos ſuæ magnitudinis invidia urebat. Et quoniam facilè prævidebat non longè abeſſe Caroli mortem, feſtinavit pacis conditiones hoſtibus offerre, quibus demulcerentur ii præſer-

tim, quos non ignorabat majore autoritate inter fœderatos valere, ut simul consequeretur duo, & arceret nimirum ab Hispaniæ regnis hostiles exercitus hæreditati adeundæ obices, & eos ipsos, quibus hostile fœdus stabat, suis etiam juribus, si posset fieri, redderet æquiores.

Atque illa fuit, Auditores, præter alias vera causa novissimæ pacis, quæ vulgaris prudentiæ homines mirè exercuit. Non capiebant illi scilicet, unde Galli vel fatente hoste victores, aut ut minimum dicam, intacti omni ex parte & penitùs illæsi, imò rerum omnium copiâ, milite,

commeatu, pecuniâ ad deffendendum & ad lædendum instructi, tot urbes hosti redderent, quot ille etiam victor, vix toto belli decennio expugnare potuisset. Mirabantur hostes ipsi; neque deerant, (quid enim dissimulem?) vel in Gallia nostra obloquutores. Sed Ludovicus sui securus neglexit rumusculos; imò iisdem lætatus est, tanquam ad celanda, hoc est, ad promovenda sua consilia opportunis.

Videt hodiè Europa quò demùm pax illa spectaret, & quasi remotâ caligine quæ Regis consilia obtegebat, novam in Rege lucem admiratur, quam ipsa caligo splen-

didiorem & acriorem fecit. Non invidet Europæ Ludovicus pacis fructum quem concessit; fructum ipse pacis, quem speraverat, colligit. Stante fœdere difficilius sua jura tuebatur, pax fœdus dissolvit. Bello ingravescebant odia Hispanos inter & Gallos, pax odia mitigavit primùm, deinde & sustulit. Pax inclinavit Hispanos ad æquitatem cui vix locus est inter arma. Pax etiam potentissimos hostium in partes nostras allexit. Eò demùm confectâ pace res adduxit Princeps sagacissimus, ut sua consilia adjuvarent illi ipsi qui huc usque pertinaciter iisdem obstiterant; & cui antea negaban-

tur omnia, jam optio permitteretur, utrum vellet divisa regna, an integra. Memorentur enimverò urbes redditæ: En etiam plura regna quàm urbes. Quanta Regis gloria indidem undè, si superis placet, boni illi nunciorum & mysteriorum aucupes maculam ei aspergi posse crediderunt!

Non dico, Auditores, non facturos fuisse Hispanos, quod fecerunt, nisi provinciarum suarum distractionem veriti essent, sapientem nationem sua sapientia satis admonebat: sed tamen bonum erat impellere vel suâ sponte incitatos. Non dico non vidisse Hispanos suam rem agi, sed

tamen poterant fucum facere partium alienarum studiosi. Favebat Borboniis causæ suæ æquitas; iisdem favebant Hispani omnes quotquot patriæ & sibi consulebant; sed tamen nihil nocebat, si causæ æquitas parumper adjuvaretur. Poterat Rex totum pro suo jure sibi vindicare, non tamen nolebat vel partem accipere, quia pacem Europæ vel suis juribus potiorem ducebat.

Non hic disputo utrum fuerit utilius stare distractione. Id relinquo illis qui in his mysteriis sese amant, & quibus per otium licet. Nos Galli utilitate non movemur, ubi affulget gloria. Et dubia certè distractionis utilitas,

quæ regna adjudicabat olim genti fatalia, revocabatque in mentem veteres clades, non illas quidem sub Ludovico Magno metuendas, sed tamen sub magno Principe sancti Ludovici fratre acceptas, sub Ludovico XII, sub Francisco I.

Sed esto, Galliæ fuerit utilius detractis Hispaniæ provinciis augeri, at certè minus gloriosum. Obscurior sanè, Rex magne, tua illa pacis confirmandæ cupiditas multis visa esset stante distractione: pacem quidem confirmabas, sed regna adipiscebaris, non tam paci quàm utilitati tuæ servire videbaris; cedebas parte jurium, sed par-

tem obtinebas tutius; quantum tibi accedebat ex distractione, tantum gloriæ tuæ detrahebatur; laudari poterat moderatio tua, sed tamen fructu suo, nec pœnitendo illo quidem carebat. Amittebas certè apud Hispanos Pacifici nomen. Nunquam illi probassent pacem quæ tanto illis stetisset. Quoties de pace illâ cogitassent, toties inclamassent in autorem pacis, & profectò tali paci bellum quodlibet prætulissent. Nunc autem quid tuæ gloriæ officere potest? Augusto major qui non ante orbem pacavit, quam totum cædibus cruentatum sibi servire coegisset; tu pacem imperio præfers. Di-

ſtractionem voluiſti, quandiù illa viſa eſt paci utilis: velle deſiiſti, cùm primùm aperta eſt ad pacem tutior & compendioſior via. Felicior tuo judicio, ſi pacificator Europæ dicereris quàm ſi Dominus. Procudantur itaque nunc Ludovico Pacifico Numiſmata, meliore jure profectò quàm olim Commodo imperatori dicata ſunt. Procudantur FORTUNÆ GALLORUM MANENTI, quàm nihil jam ſub Ludovici auſpiciis turbare poteſt, SÆCULO FELICI, ſi ſua bona noverit. ÆTERNÆ PACI, ſaltem Gallos inter & Hiſpanos; ſed imprimis MINERVÆ LUDOVICI, cujus ſapientiâ res ſingularis perfecta eſt.

Quin mihi licet per tempus, Auditores, ostendere, quanta pars hodierni triumphi ad Religionem quoque pertineat, ac proindè quantum indidem Christianissimi Regis, & regni crescat gloria. Admirare, Europa, tuque, ô par scriptorum nobile, cui res à Ludovico gestas litteris consignandi præclarum munus demandatum est. Hîc oculos, hîc mentem defige. Hæc ejus vitæ pars cætera vitæ tempora obscurat, aut potiùs novo fulgore illustrat. Colligat idem eventus duo quæ christianum Heroem maximè commendant, servit felicitati populorum, & Religionis incolumitati. Quid

non ſperandum Religioni, quam Reges Chriſtianiſſimus & Catholicus non privatis ſtudiis, ut antea, ſed communibus conſiliis animiſque pro ſe quiſque promovebunt, & poterunt etiam contra hæreſis molitiones, ſi quid illa jam muſſitare auderet, conjunctis armis & viribus deffendere.

Erat ſanè Ludovico glorioſum petentibus Hiſpanis Regem concedere, feciſſe ſuâ prudentiâ ut peterent, glorioſius; rem verò tantam, quanta ab omni ævo non fuit, eâ ratione exequi quâ executus eſt, multò glorioſiſſimum.

Aditur hæreditas; Audi-

tores, quâ major adiri non potest. Aditur à Rege vix dum juvene, qui familiam in solium peregrinum invehit, & eam quidem cui cæterarum nationum invidia adhæsit, illius etiam cujus aditur hæreditas. Dejicitur sperata diù hæreditate domus alia potentissima, quæ regnum Hispanicum, possessionem gentilitiam crediderat. Decipiuntur sua spe, qui hæreditatem divisam voluerant. Quis non bella horrida præsagiebat animo, quoties Carolum nuperum Regem non modò sine prole, sed etiam sine spe prolis cogitabat, ferè ex quo natus est, morientem? O pax nuper malis avibus

composita,

composita, quam citò à nobis avolas, diù expulsa, diù desiderata. Neque illi profectò injuria, periculum proximum videbatur, periculum à Germanis, periculum ab Anglis & Batavis, periculum etiam (quid enim satis tutum?) ab Hispanis: vera utique pericula, nisi coalescentem ex omni parte nubem sol Gallicus dissolvisset, ut nunquam purior dies illuxerit, quàm qui fœdissimam tempestatem portare credebatur. Moritur Carolus, affertur de morte nuntius, petitur Andegavensium Dux, conceditur; salutatur Philippus quintus, profectio adornatur, Rex novus proficiscitur: quid pa-

catius? Crederes iter agi in villam Bellaqueam, aut in proximum Markæum secedi. Non aliter certè filius in regno avito succederet. Et laboriosiùs fecit ipse Carolus Imperator, cùm in Philippum filium suas Hispanias transmisit.

Et quid tamen non factum regie à Ludovico ex quo appellatus est ab eo Rex Catholicus: regiæ dapes, regius hominum, regius equorum apparatus, domus regio luxu instructa, ut Escuriale Palatium cum Hispanica nobilitate non desideraretur.

Ut festinaretur, res ipsa videbatur admonere; sed festinatio visa esset timorem ar-

guere, Rex moram facit dierum aliquot, à kalendis decembris in diem quartum profectio rejicitur. Jam iter ipsum quod diebus quindecim aut viginti non incommodè confici poterat, in dies quadraginta dividitur. Comitatus magnificus ille quidem, sed qui ad dignitatem potiùs Regis Catholici, serenissimorumque Principum quàm ad securitatem accommodatus sit. Nihil trepidè, nihil tumultuosè, mandata ipsa tam intra, quàm extra regnum perlata providentiam Regis acrem illam & tranquillam indicant. En quorsum evasit tempestas! Ludovicus ubique sui similis, ubi-

que Rex, cùm ſuos regit; cùm terret hoſtes, cùm Reges concedit.

Ventum erat ad diem glorioſæ profectioni dictum, vias obſederat multitudo, pueri, ſenes, fœminæ, plebeii, nobiles. Urbs ſe primùm mirata eſt viduatam civibus. Jam evanuerant Verſalicæ arces ex oculis. Jam ducis Maynii villam regius currus ſubierat comitantibus hinc & inde curruum millibus. Fit mora. Ingrediuntur unà Reges. Quanti nunc Ludovice! quanti emis gloriam! Nullus Princeps tantum ei debet quantum tu. Nihil illa dedit tamen præ eo quod nunc eripit. Senſêre te hoſtes tui heroem, te ipſe ſentis Pa-

trem; heros terruisti, admirationem excitasti, Pater commoveris & sentis quod nec sentiunt qui lacrymantur. Conscius fuisti Delfine ipse quoque Pater. Post spatium aliquod admittitur Orator Hispanus; credo ut videret propius ex dolore Galliæ quantum esset Hispaniæ lætandum. Illicò adsunt Regii fratres, cæteri deinde Principes, nec ita multò post exitur silente aulâ!

Accipit in omnium oculis geminatum Regis osculum Philippus, non Rex Regis, sed avi nepos, filius parentis. Quid tibi autem, Philippe, dum currum conscendis suffusi rubore oculi? Lacrymæ

heroas non dedecent. At nostrûm erat lacrymari. Ecce volante curru erumpit adstantium clamor; crederes rapi Ludovicum ipsum. Tantum non pœnitet me quod factum Galliæ gloriosum dixerim; fructus gloriaque ad Hispanos transit. I tamen, Princeps, quo te fata vocant. Tibi nobisque superi discessum tuum fortunent. Et quas nunc amor lacrymas elicit, extergant aliquando triumphi tui nobis communes. Abiit, Auditores, jam Aureliam prætergressus, terras Patrui cognomine felices salutavit, jam Pictonas attigit, jam ostensus est Sanctonibus, jam . . . . . Quid ego autem discedentem se-

quot quem retinere optassem. Æquate, Hispani, Pyrenæos montes, nihil jam vobis timendum à Gallia, quæ tam illustre amicitiæ pignus vobis concedit. Nunquam certè præteritis bellis tantùm obfuit, quantùm munere hodierno prodest.

Ergo agite Galli Hispanique, mutuis jam officiis certate, qui tandiù certastis armis. Fruimini innocuâ communium hostium invidiâ. Invidere possunt, nocere non possunt. Nullus certè inter vos invidiæ locus. Veniet utraque gens in societatem gloriæ & victoriarum. Divident cæteræ gentes inter se pericula & clades, Galli Hispanique glo-

triam & ſpolia hoſtium divi-
dent. Quanquam, ama po-
tiùs, Europa tota, præclaræ
concordiæ fructum partiri,
& junctis denique armis, pur-
gare majorum probrum, &
Christo jamdudum Christia-
niſque illudentes Turcas à
tuis finibus quàm longiſſimè
propulſare.

D I X I.